



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt difficilores causæ ad apicem Romanæ sedis referantur, vt apostolico
terminentur iudicio, cuius sedis autoritate omnes Ecclesiæ reguntur.
clxxviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

per vicarios suos eius retractari negotium procuret. Et dum iterato iudicio pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur episcopus quoniam quanquam comprouincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen definire inconsulto Romano pontifice permissum est, cum beato Petro apostolo non ab alio quam ab ipso dictum sit domino: Quaecumque ligaueris super terram, erunt ligata & in caelis: & quaecumque solueris super terram, erunt soluta & in caelis.

Vt per scripta nullius accusatio suscipiatur, eo absente qui accusatur. Cap. CLXXVII.

*Ex epist.
Steph. a.
papae cū-
ctis episco-
pis missa,
cap. 8.*

Per scripta enim nullius accusatio accusatore, & eo qui accusatur absentibus suscipiatur, sed propria voce, si legitima & condigna accusatoris persona fuerit, praesente videlicet eo quem accusare desiderat: quia nullus absens, aut accusari potest, aut accusare. Nullus tamē praefati ordinis vir accusari potest, aut respondere suis accusatoribus debet, priusquam regulariter à suo primato vocatus sit, locūque defendēdi, aut inquirendi accipiat, ad abluēda crimina.

Vt difficiliore cause ad apicem Romanae sedis referantur, ut apostolico terminentur iudicio, cuius sedis autoritate omnes Ecclesiae reguntur. Cap. CLXXVIII.

*Ex epist.
Anacle-
ti papae
omnibus
Episcopis
missa, ca.
14.*

Si quae verò causae difficiliore inter vos ortae fuerint, ad huius sanctae sedis apicem eas, quasi ad caput referre, ut apostolico terminentur iudicio: quia sic Deum, velle ab eoque ita constitutum esse, antedictis testimoniis declaratur. Haec verò apostolica sedes, cardo & caput factū est à domino, & non ab alio est constituta. Et sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctae sedis autoritate omnes Ecclesiae domino disponente reguntur.

Quòd omnes Episcopi possint appellare Romanam sedem in necessitatibus positi. Cap. CLXXIX.

*Ex decr.
Damasi
pap. Ste-
pha. epi-
sco. Afri-
cae missis,
cap. 9.*

Quam omnes appellare si necesse fuerit, & eius fulcristri auxilio oportet. Nam, ut nostis, synodū sine eius autoritate fieri non est canonicum: nec episcopus nisi in legitima synodo, & suo tempore apostolica voce catione congregata, definitè damnari potest: neque vlla